



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Imago Primi Saecvli Societatis Iesv

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1640

Oratio Tertia. De S. Francisco Xauerio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97844](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97844)

ritatem exultæ, inde ad sincerum Dei cultum adducta barbaries; hinc de prostratis idolis manubiæ, inde de profligatâ hæresi trophæa; hinc veritatis sole discussæ calumniarum nebulæ, inde tormenta inconcussâ virtute superata. Hæc cum præclara sint & singularia, suum præconem semper inuenient: illud ego semper inter singularia eius & magna reponam; numquam eam tam de magnitudine suâ propagandâ, quàm de minimis quæ nascenti tradideras obseruandis laborasse. Et, nisi me fallit opinio, per hæc minima denique perfectum est, vt minima cum esset, è minimis emerferit; cum scilicet maior esset Religiosæ disciplinæ, quàm sapientiæ cura; maior de errato quouis exterminando, quàm de pomeriis dilatandis sollicitudo; maior legem minimam, quàm prouincias conseruandi posteris iniuncta necessitas. Hæc illa fuere minima, quæ ætatis vnus amplitudinem eduxere. Nunc agite, Patres religiosissimi, & his vestigiis insistite; hoc idem studium vobis sit commendatissimum, & indubiè succedent sæcula sæculis beatiora: fortunam primam maior semper excipiet; nec prius accrescere magnitudo desinet, quàm minimorum cura vobis à magno auctore commendata minuetur.

ORATIO TERTIA.

De S. Francisco Xaueio.

DVm per vniuersum terrarum orbem cogitationem circumfero, & singulas illius partes tam varias, tam distitas inter se, tam amplas atque diffusas animo percurro, tot vbique specto virtutum à Xaueio relicta vestigia, tot laudum insignia, tot prodigiorum monumenta, vt, quantus quantus orbis est, non aliud fuisse videatur, quàm theatrum quoddam virtutum, & rerum ab illo præclarissimè gestarum. Et Europa quidem gloriatur, virum se talem tantumque genuisse, terris primùm, deinde per Ignatium Deo; illius hospitio se iactat Africa; Asia verò diuturnum se illi præbuisse domicilium deprædicat; America tandem ab eiusdem se posteris ac sociis, eius potissimum exemplo excitatis, exultam agnoscit: Oceanus, venti, flumina, rationis expertes animantes, sol, nix, pluuia, resque adedò omnes Xaueij imperium expertæ, tot præconia congerunt, tot laudum amplissimarum ornamenta & titulos accumulant, vt, quamuis vnus ipse satis fuerit iis omnibus promerendis, enumerandis tamen vix vlla sufficere possit oratio. In cælis verò infinita illa multitudo fortunatissimarum animarum, quas in illud beatitatis domicilium transtulit, in vnum conuersa Xauerium, eum patrem, defensorem propugnatoremque vitæ ac fortunarum suarum, salutis post Deum auctorem suæ, victorem debellatoremque dæmonum, superstitionis impiæ euersorem, expulso rem flagitiorum omnium, immortalis præconio, laudibusque profitetur sempiternis. Quorum vocibus vt nostra in terris consentiat oratio, in hunc præclarissimum illius de idolis, de immanissimis ac terribissimis humani generis hostibus, de vitiis, de impietate triumphum paulisper oculos defigam: reliqua omnium virtutum decora, & dignitate ac splendore maxima,

& numero propemodum infinita, ne oratio in immensum excurrat, sciens ac prudens præteribo.

Auspicatorum difficillimum Indiarum bellum Xaverius, pro lorica rudem tunicam induit; pro gladio coronam Virgini-matri sacram accingitur; pro tubis ac tympanis adhibet tintinnabulum, quo exercitum suum, hoc est rudium puerorum quantam potest manum, sub signa conuocet: atque illo belli apparatu instructus, hostilibus copiis sese infert, tantò illustriorem relaturus triumphum, quantò minùs ista auxilia sunt ad victoriam comparata. Sed nimirum erat in ipso Xaverio ingens quedam virtus, quæ coniuncta cum naturâ nobili, eam dederat eius oculis, orti, verbis, nutibus efficacitatem, ut palam non iactaretur modò, sed etiam reapse sentiretur, Xaverium audere & posse omnia, in Xaverio vim esse quamdam virtutemque pænè diuinam. Et fuit profectò potentia plusquam humana, tot barbararum regionum incolas à belluinâ ferocitate ac truculentia, ad mansuetudinem, ad morum honestatem, pietatemque traducere, idque non verborum ac sententiarum pondere, cum verbis quæ vellet, ignorantia peregrinæ linguæ, sæpissimè exprimere non posset, sed mutâ pænè & elingui oratione. Quamquam quid admiramur, sine linguâ, sine voce, in mortalium animis illum tanta efficere potuisse? quid tandem illi opus fuit voce? Deum pronuntia- ret? at toto oris habitu ac specie illum satis loquebatur. caelestem gloriam verbis describeret? eam animus intuebatur assidue, & quodammodo sub omnium oculos aspectumque proferebat. virtutis pulchritudinem dicendo exornaret? illius in se formam, ac venustatem omnem, viuis coloribus effinerat. Neque verò de inferorum cruciatibus, de libidine, de reliquorum vitiorum turpitudine quidquam necesse erat declamare, cum non animi tantùm, sed ipsius etiam corporis horrore, auersanda esse satis commonstraret.

Rideamus, si placet, cum audimus magni Iouis nutu concuti Olympum, terram caelumque tremere, ut Poëtæ fabulantur: at ego, quoties nutu Xaverij, cælo altiorem, Olympo firmiorem, duriores scopulis hominum voluntates concussas & labefactatas cogito, toties in admirationem trahor ac deprecationem tantæ potestatis: quam cum dicendo non modò non exornare, sed ne quidem enarrare me posse intelligam; oro quæsoque vos, Auditores, quandoquidem cogitatione id facilius quam verbis consequi licet, ut illius effecta quædam animis vestris vos ipsi obiiciatis, aut ex edito quopiam loco vos ea contemplari existimetis. Videbitis illum exigua puerorum manu stipatum, imbellibus profectò copiis, vicos Indiarum maximos atque oppida celeberrima expugnantem: videbitis Regna amplissima, incolarum multitudine frequentissima, diuitiis opulenta, infensissima Religioni Christianæ, Deo subiugantem, nequidquam ex aduerso freudentibus inferorum turbis: videbitis barbarorum exercitus, strictis gladiis immisissisque telis toto impetu irruentes, sistentem, & cogentem retrò pedem referre: videbitis in impiorum ultionem euocari ignem de cælo, cineresque ac punicum vim ingentem depluere: videbitis in Mauricâ regione, quæ terra asperissima est, belluarum non hominum receptaculum, barbaram illam gentem

Xaverij
magnani-
mitas:

Indos
Christianâ
Fide &
moribus
imbuit.

gentem solâ feritate celebrem, quæ veneno ac ferro sæuiat etiam in suos, in coniuges (si tamen coniuges ibi vsquam sunt) in liberos, in parentes, Xauerij potentiâ frangi, flecti ad humanitatem, ad omne se imperium submittere: videbitis Comorinenses, oræ Piscariæ ac Trauancoridis incolas, Tutuchurinos, Manarios, Iaphanapatianos, Macazarios, Ceilanos, Amboinios, Molucenses, Malabares, Basainos, Parauas, Ternatinos, Melindazos, aliosque populos numero propemodum infinitos, eorumque Sacerdotes ac Reges, eiurâtâ belluinâ viuendi licentiâ & vitiis omnibus, se Xauerij imperiis submittentis: vt non immeritò quis credat Indos de vno Xauerio exclamasse, quod olim eos putauisse narrant historiæ, cum viso potentissimo Macedonum exercitu dicerent, Deos ad se armatos è caelo descendisse. Sed nihil egimus, nisi Iaponiam, vltimam Orientis regionem, quæ inter plurimos honorum titulos, peculiari quadam ratione propria Xauerij lausest, ab hoc fortissimo Imperatore nostro subactam in medium produxerimus. Erant huic genti sub vno summo Imperatore Reges omnino sexaginta: maxima potentia erat Sacerdotum quos Bonzios vocant, summa apud omnes ordines auctoritas propter vetus institutum auitæ religionis: erat gentis totius insolens & fastidiosa superbia, quâ ceteros omnes aspernabantur, aduenas arroganter accipiebant, egenos atque inopes caelo prorsus excludi volebant: superbiæ coniuncta erat propudiosa quædam libidinis omnis licentia, quæ tantam animis caliginem offuderat, vt etiam terribili flagitij turpitudinem nullam viderent. Explorauerat Xauerius ea omnia, perspexerat mores, ingenium & indolem satis præclare à naturâ institutam, nisi à Bonziorum disciplinis non minorem quàm alij à vitiis labem acceperat: intelligebat in tam variis Regum, Sacerdotum, populi malis expugnandis non vnâ esse opus machinâ; & cum triplici hominum genere, quasi cum Cerbero quodam aut Geryone, esse dimicandum. Sed quid ageret paupertas apud opulentæ studiosos? quid castimonia apud homines impuros? quid animi submissio apud insolentissima ingenia? quid vnus ipse, & peregrinus quidem, apud Reges sexaginta? Nihil tamen in hac re tantâ, tamque difficili, desperat vir verè magnanimus; sed toto impetu ac mole belli incumbit in eam partem quam esse iudicabat firmissimam: Bonzios aggressus est, hominum genus callidum ac fraudulentum, contumax prætereà & arrogans; eos palàm conuictos, coactosque cedere iudicio veritatis constringit; explodit friuolas superstitiones ac cæremonias, detectisque eorum fraudibus, odio illos Regum, populi que contemptui ac ludibrio subiicit. Hac firmissimâ acie perfractâ & superatâ, iam leuis erat cum populo pugna, nec difficilior cum ipsis Regibus: vltro ex diuersis prouinciis, quò eius fama peruaferat, legati mittebantur, vltro exposcebant tamquam hominem, diuino sibi consilio destinatum: Proceres in vias & urbium portas effusi aduentum gratulabantur, in regiam deducebant, plausu & lætitiâ omnia personabant, collocabant regio in solio, sua illi sceptrâ & regna, animos & voluntates suas eius imperio flectendas, consilio moderandas, auctoritate regendas committebant.

Figite hîc paulisper animum cogitationesque vestras, Auditores, in
amplâ

*Xauerius
Iaponiam
ad CHRIS-
TI Fidem
conuertit.*

amplâ atque augustâ specie Xauerij contemplandâ, tot subactis Regibus triumphantis, tot coronas, tot sceptrâ, tot gentium populorumque spolia ac trophæa ad pedes suos abiecta numerantis; & cum illius gloriâ ac maiestate, Regum omnium, qui vllâ vñquam ætate vignerunt, gloriam magnificentiamque conferte. quid in illis reperietis, quod in hoc non luculentissimè resplicet? quàm multa in hoc, quæ illorum splendori defuisse videantur? Memini olim ductu auspiciique Cæsaris caesa esse ac profligata vñdecies centena millia hostium: at ex illis quantulam partem Cæsar suam vocat? & quænam ista laus est, mortem intulisse miseris, quam mancipium quodlibet etiam Regibus inferre potest? Xauerius, quod ne vni quidem mancipio Rex præstare vllus potuit vñquam, ampliùs decies centenis millibus vitam dedit; & animæ quidem, hoc est non fugacem & mox perituram, sed immortalem ac sempiternam. Videte nunc, obsecro, quod caput est, quàm exiguo tempore rem tantam perfecit. Non multò ampliùs decenni spatio, Indias Iaponiamque peruagatus, tot Regna, tot prouincias, tot vrbes adiuuit, tot immensa maria emensus est, vt illi vix satis temporis ad tanta itinera conficienda fuisse videatur; & interea tamen tot centena hominum millia, ab idolorum cultu, & sub CHRISTI ditionem redacta, salutari fonte lustrauit. Si verò reliquas nationes ac gentes adiunxero, quas absens auctoritate & consilio suo, operâ & labore suorum, ad veri Dei cultum traduxit; si Christianos insuper, quos à vitis abstrixit, neque numerum inire, neque exitum reperire mea poterit oratio. Et sanè haud scio an non fuerit cum hisce illi multò difficilius certamen, quàm cum ipsis barbaris; atque adeò vt desperatior victoria, ita etiam præclarior triumphus: horum certè quidem impietatem atrocitatem scelerum flagitiorumque superabant; pudorem omnem audacia atque inueterata consuetudo peccandi deterferat; animata luxu licentia, roborata diuitiis, inflammata commercio barbarorum, ita omnem probitatis ac Religionis speciem aboleuerat, vt solo nomine dicerentur Christiani: & barbari quidem ferè volutabantur tantum in suis vitis ignorantia virtutum, ac legis diuinæ; hos verò præfracta in sceleribus animi obstinatio retinebat. Quid hîc ageret Xauerius? non hîc consuetæ artes sufficiebant; alia erat ineunda ratio, noua industria, noua vis, nouæ machinæ erant adhibendæ. Nactus erat nescio quem ex eo numero, cuius improbitatem consuetudine peccandi roboratam auxerat licentia atque audacia militaris; & statuerat apud se homo pertinacissimus numquam resipiscere, numquam Xauerio manus dare. atque illud decretum ita altè animo infixerat, ita obstinatam peruicaciam munierat, vt frangi vincique numquam posse videretur. Hunc hominem, difficilem adeò & repugnantem sapientissimus iuxtâ ac potentissimus animorum Imperator noster, familiariter ac blandè aggressus, extra vrbs pomeria deducit; credo, quasi otij fallendi causâ: cumque peruenissent ad saltum quemdam vrbi vicinum (vt ferebat natura regionis) palmis confutum, videns se locum & occasionem esse nactum præclare rei gerendæ, omnem animi vim contentionemque adhibet, hortatur, minas intonat, blanditur, obsecrat. Quid tandem? cum nihil quidquam horum prodesse

Deprauatos Christianorum mores corrigi vbi que in Indis.

prodesse cerneret, corpus nudat, aculeatum flagellum arripit, & accenso atque inflammato vultu tam crudeliter in se ipse defecit, vt contumax ille spectaculo perculsus, ad genua Francisco acciderit; & erumpentibus lacrymis, Ah parce tibi, Xaue-ri, inquit; ignosce, ego sum qui scelus admisi, ego pœnas commerui; ego plecti, cædi, laniari debui: desiste, tuus iam sum; quidquid placuerit, impera. Amulabatur hîc, vt opinor, Xaue-rius maximum illud ac potentissimum imperium, quod olim, dum vixit in terris, in mortalium animos atque orbem vniuersum humani generis Seruator exercuit; qui vinc-tus ad durissimam columnam, atque immaniter cæsus, mortem deinde turpissimam in cruce nostri causâ perpesus, vi potentissimâ omnia permouit, & ad se pertraxit. Neque verò vnus tantum obstinatione pertinaciâque induratum pectus emolliit; incubuit in Goam, irruit in Malacam, in Cocinum, in Ternaten, in Armusiam illapsa est eadem vis, vrbesque omnes Christianorum incolarum frequentia nobiles, at vitiiis & sceleribus haud paulò nobiliores, peruagata est, excussit, deleuit, euerit. Si quid non castum, non pium, non sanctum erat, proscripsit; effrenatam licentiam castigauit; malam auaritiâ lucris iniquissimis inhiantem repressit; odia, inimicitias, strictos in mutuas ceruices gladios discussit; ex ædibus plurimorum pellices exterminauit; intempestiua conuiuia ritu Saracenorum celebrari solita, turpitudines Mahometicas, quæ palam impune grassabantur, planè aboleuit. contra verò collapsam pietatem, iustitiam, sanctitatem pristino vigori restituit: omnes denique sub ditionem imperij sui, seu veriùs Dei, potestatemque redegit. Magnifica quidem esse solet oratio ista, & plurimum habere admirabilitatis: Xaue-rius viginti quinque mortuos ad vitam reuocauit: Xaue-rius imperio suo stabilem illum ac perpetuum solis cursum stitit, ac retardauit: Xaue-rius tempestuosi maris fluctus pacauit, compressit ventos, pisces è mari ad obsequium euocauit, morbos cuiusque generis extinxit, caco-dæmones compefcuit, & ex mortalium corporibus eiecit. At quantò hæc magnificentiora sunt & augustiora? Xaue-rius decies centena milia animarum æternæ mortis suppliciis liberata meliori vitâ donauit: Xaue-rius in vltimas Orientis oras visum antea numquam veritatis solem induxit: Xaue-rius non solum ventorum procellas, sed hominum iras ad expetendam vindictam præcipites, non maris tantum, sed turbulentissimos etiam animorum fluctus compefcuit: Xaue-rius non pisces tantum ex aquâ, sed homines etiam ex profundissimo flagitiorum gurgite extraxit. Nemo hîc mihi obiiciat flexanimam illam, quam Tullius rerum omnium dominam ac reginam vocat, eloquentiam: quid enim habet quod cum Xaue-rio in contentionem venire queat? Nemo mihi fabulas illas Poëtarum decantet, Orphei, Amphionis, Arionis, Apollinis, Musarum ac Sirenum, nisi fortè, vt, quæ de iis ficta sunt, à Xaue-rio facta esse fateatur: hic siluas traxit, cum barbaros atque agrestes, incolas siluarum, permouit: huic lapides & saxa blandè obsecuta sunt, cum adamantina mortalium pectora emolliit: hic fluviorum cursus retinuit, cum defluentes in omne vitiorum genus prauas consuetudines restrinxit: hic feras mitigauit, cum animos crudeles flexit

*Ad Sinas
profectio-
nem parat.*

ad misericordiam: hic, exfiliis ad vocis aut citharæ sonum lapidibus, Thebas exstruxit, cum pretiosos illos lapides ad cælestem Ierosoly-
mam ædificandam promouit. Nihil erat in mortalium animis tam asperum aut indomitum, quod non subigeret: nullus vsquam terrarum patebat locus ad orientem solem, quod non incredibili ardore CHRIS-
TI imperium semper longius extendendi penetraret. Vnicus supererat Asiæ terminus, Sinarum regio, non solum externorum hominum commerciis non frequentata, sed oclusa etiam perpetuæ seruitutis aut capitalis terrore supplicij. Hæc etiam repagula, insatiabili exæstuans cupiditate semper vincendi, perumpenda suscepit Xauerius, ne qua esset mundi regio solis huius, quem oculis adspicimus, radiis collustra-
ta, quam ipse victoriarum suarum splendore non peruaderet. At ecce tibi, in ipso portu, & iam pænè ingressu, Sinarum ex hac mortali vitâ euocatur. Dum nouos ille labores cogitaret, laborum illi præmium præparabat Deus, & hisce ad se vocibus inuitabat: Satis est, Francisce, satis est, omitte tuam istam vocem insatiabilem laborum iuxta ac victoriarum, Amplius, amplius. Iam te satis diu mare, venti, procellæ, Syrtes, naufragia exercuerunt; iam satis diu in te fames, sitis, pestilentes pauperum tabidorum morbi, æstus, frigora, nuditas, angores, ægritudines, aliæque id genus cohortes incurfarunt: satis est, Francisce, satis est: iam his suis definitus est terminus, deliciis verò ac voluptatibus cælestibus laxanda est æternitas. aduersus barbaros, aduersus deorum Sacerdotes, nihil præter odia in te & cædem anhelantes, aduersus furibundas dæmonum legiones depugnatum est satis; te iam æterna Beatorum pax & securitas posthac manet, te cælestis patriæ incolæ suum ciuem repetunt, tibi obuiam properant, tibi coronas deferunt, tibi honores, titulos, plausus ac triumphos parant sempiternos. Hic incertus hæreo, gratularine Xauerio debeam, an amplissimi Regni calamitatem deplorare: eius certè felicitate infelices Sinæ, eius ad cælos discessu ipsi viam, quâ eò perueniant, non agnoscent. O sua si infortunia miseri nossent, iam Regni sui obices effringerent, neque auidè modò venientem præstolarentur, sed in occursum vndique effusi aduolarent, ad suas illum rapturi sedes. Difficile, fateor, hîc acquiescat humana mens, nisi persuasum habeat, à Deo non eludi nostram spem, sed occulto consilio ac sapientiâ ad suos plerumque fines suauissimè dirigi, ac maiore, cum id minimè speres, bono cumulari. Deo certè non deerunt efficacissimæ rationes ac modi, quibus hanc istorum populorum iacturam resarciat. Tu verò, virorum beatissime, post tot huius vitæ procellas ac tempestates, succede in portum felicitatis æternæ, quod te tui vocant labores ac triumpho. Sed id modò age, id cura apud æternum Numen, vi, cum per te ipse id perficere non potueris, Regni Sinarum repagula commilitones tui conuellant. en tibi, ad quæuis pericula promptos sese atque alacres offerunt, difficultates nullas horrent, nullam, quamuis durissimæ seruitutis, conditionem reformidant: id vnice optant, vt sanguis, qui in venis tuis ægrè potuit retineri, in suo corpore viam inueniat, vt Sinarum campi hoc imbre sanguineo rigati, Fidei Christianæ fructus vberes salutareque producant.

ORA-